

HEN. GLAREANI

hodie Nigra pont. In ea Chalcis ciuitas clara morte Aristotelis. Ea est iuxta Euripum è regione Aulidis portus Bœotiae.

Peloponnesus limites habet à Septentrione Corinthiacum sinum, Isthmum, & Creticum pelagus. Ab occasu atq; meridie Hadriaticum pelagus, ab ortu Creticum mare. Hodie Morea dicitur. Hæc toto orbe peninsula maxime celebrata est, propter Mycenarum, Argiuorum, Lacedæmoniorum, Sicyoniorum, Eliensium, Arcadum, Pyliorum, & Messeniorum imperium. Multæ horum populorum præclarissimæ urbes, multi principes celebrati, immensæ res gestæ, montes quoq; ac fluij celeberrimi. Ab occasu Strophadas insulas habet duas, ab Austro Cythæra, ab ortu Salamina, & Aeginam maximæ famæ.

Creta insula ab occasu terminatur mari Hadriatico, à septentriõe Creteni, à meridie Punico, ab oriõte Carpathio. Hac quoq; insula nulla sub cælo magis celebrata, centum olim habebat oppida, idcõq; ab Homero *ἑκατόμπολις* dicta, hodie Candia. Item in Aegæo pelago insulæ sunt multæ, quædam ab situ uocantur Cyclades, quæ circa Delum in circulo positæ sunt. Reliquæ Sporades dicuntur, q; undiq; p mare dispersæ sint. De his omnibus Plinius lib. 4. cap. 12. copiosissime. Hæ oës natiões, quas hoc capite enumerauimus, sub Turcarum impio sunt.

AFRICA.

DE APHRICA, ET EIVS PARTIBUS, ac primũ de Mauritanijs duabus, Africa minore, ac Numidia. CAP. XXXI.

SEquitur deinde Aphrica altera mundi pars, quam Ptolemæus li. quarto tabulis quatuor descripsit. Habet autem regiones duodecim, Mauritanias, Tingitanam ac Cæsariensem, Numidiam nouã, Aphricam proprie, Cyrenen. Marmaricam, Libyam, Aegyptum inferiore,